Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SAMBVCO,

RECTORE ILLVSTRIS SALANÆ MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, ET RELIQVA,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HÆREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SACRÆ CÆSAR. ET CATHOL. MAIEST. AC SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII, VINARIENSIS AVLICI, ET ARCHIATRI, PRAXEOS ET CHIMIÆ PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

TOTIVS ACADEMIÆ ET FACVLTATIS MEDICÆ SENIORIS,

PATRONI GRAVISSIMI, PRÆCEPTORIS FIDELISSIMI ET PROMOTORIS SVI SANCTA AC NVNQVAM INTERMORITVRA PIETATE DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES, INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, LEGITIME ACQVIRENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

AB AVCTORE

FRIDERICO AVGVSTO TREISE,

NEIDSCHVTZA-MISN.

AD D. MAII M DCC XX.

IN AVDITORIO MEDICO,

LOCO ATQVE HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

LITTERIS IOANNIS FRIDERICI RITTERI.



I. N. I.

PROOEMIVM.



Vllum certe, quod vniuerſus cingit orbis, datur ſpatium, ex quo non ſummæ bonitatis ac ſapientiæ diuinæ abyſſus præluceat, adeo, vt quorſum oculos & mentem vertamus, obſtupeſcere, & cum Regio Pſalte exclamare cogamur: Ecce quam bonus eſt Dominus, bene omnibus, qui in ipſum confidunt.

Id ſingulis diebus videmus. Emicant in cœlo omnia aſtra, ex quibus princeps ſol, viua velut Summi Numinis imago quædam, calore ſuo cuncta ſublunaria vegetat.

In terra occurrunt decantata illa medicorum tria regna, vbi velut ex inexhauſto naturæ penu aliquot millia plantarum, mirandæ diuerſitates animalium & aquatilium, & vix exhaurienda mineralium metallorumque corpora emergunt, ex quibus benignitatis & ſapientiæ diuinæ veſtigia quotidie magis magisque innoteſcunt & celebrantur.

Maxime autem omnipotentis Creatoris clementia ac miſericordiæ paternæ amplitudo generi humano, per lapſum

protoplaſtorum in varias & animi & corporis imbecillitates deiecto, ampliſſimum ſaluberrimorum remediorum in terræ ſuperficie aperuit campum, ex quo deinde morbis afflicti & morti delendæ & morbis abigendis profutura arceſſerent auxilia.

Et ſane vel vulgo quoque perſuaſum habetur, in herbis ſummam medendi vim latere, nec tantum rariores magnis pollere virtutibus, ſed & vbiuis obuiarum, & iuxta omnes fere humiles attegias reperiundarum plantarum inſignem & multiplicem efficaciam laudari ſatis vix poſſe.

Hinc non dubitaui terræ ſuperficiem ſpectare, inprimis vbi WEDELIVS D. Præſes meus ſummo obſeruantiæ cultu in omne æuum deuenerandus, calcar huic meo conſilio dedit, quando in *Præfat. ad Amoen. Mat. Med.* inquit: Amoena non facile nauſeam ſui parant, ſed repetita quoque non diſplicent, imo eo maiorem ſpirant gratiam, quo frequentius ſubeunt vſum, quæ verba deinde etiam ad ſimplicia applicat.

Et quidem tanti Viri auctoritate incitatus, vt eiusdem exemplum ſequerer, elegi pariter vulgarem arborem ad omnes fere muros antiquos & ſepes eminentem SAMBVCVM, non ob magnitudinem, ſed egregias virtutes polychreſtam dicendam, ideoque vlteriori ſcrutinio ſpeciminis inauguralis loco digniſſimam.

Huius itaque naturam & vſum meditationi & euolutioni pleniori paulo, quantum quidem vires & tempus concedent, ſubiicere propoſitum eſt. Faxit Deus T. O. M. vt omnia in ſanctiſſimi ſui nominis gloriam & proximi emolumentum vergant!

CAPVT

CAPVT I.

DE
Nomine, Differentia & Definitione Sambuci.

VEgetabilia optimo consilio iam à veteribus in certa genera distincta esse, vel nemo negabit, nisi plane hospes sit in rei herbariæ studio. Sic enim abunde patet ex *Theophrasto Eresio*, *l.* 1. *Hist.pl. c.* 5. hæcce ab ipso recte diuidi in arbores, frutices, suffrutices & herbas, quibus plantis latius sambucus accensetur φυτοῖς, strictius vero arbores significat. Notissimis licet hæc sint accensenda, attamen præmittere consultum fuit, cum ex his genus quoddam sit, cui iam indagando operæ pretium erit, & quidem in censum venit arbor, quæ vocatur Sambucus, cuius historiam in præsenti dissertatione contexere animus est.

Sambucum itaque, quo nomine planta nostra communiter plerisque vsitata est, à Sambuca musico instrumento, *Prudentio Apoth. v.* 216. & *Vitruvio Lib. VI. c.* 1. qui etiam schema talis trigoni, vti hoc organon musicum fuit, depictum habet, ita dicto, quod quidam τετράχορδον vocant, primam originem traxisse, affirmantium rationes haud temnendæ fidem faciunt, qua de vid. *Becmannum Libr. de Origin. Lat. Ling. pag.* 491.

Optimam censet opinionem *Abrah. Couleius in Not. ad Poemat. Lat. p.* 322. qui ideo ita dictam fuisse sambucum tradit, quod ex eius ramis vel ligno instrumentum hocce fieri solitum sit, nec tamen illorum ratio plane reiicienda est, qui ab inuentore laudati instrumenti, cui nomen Sambyx fuerit, denominatam putant.

Vti

Vti vero antiquior & frequentior alicuius plantæ vſus ſæpius facit ad multiplicationem nominum, ita idem etiam de ſambuco valet & verum eſt. Sic *Q. Sereno Cap. 7. aliis* 8. ſabucus audit, ſed iuxta quosdam putatur, intellexiſſe potius chamæacten, cum parua ſambucus dicatur, quod χαμαὶ, *humi, ad terram*, vocem exprimat. Alii vero communiter ſambucum ipſam ita dici rentur, cùm & apud *Plinium* huius nominis mentio occurrat. Alii metri ratione motum id feciſſe opinantur.

Ab *Abraham Couleio l. c.* vocatur acte, quando canit:

Non minus hic acte lætatur & aſſidet vndis,
Sed tamen humanis ſtagnantes pellere membris,
Dicitur, hæc effata;

quod vocabulum à græco ἀκτὴ littus, quia littore & locis humidis gaudet ſecundum opinionem *Penæ & Lobelii in Aduerſ. Stirp. p. 434.* deriuatur.

Ob eandem rationem Græcis quoque ἀκτὴ dicitur, atteſtantibus *Dioſc. L. IV. C. 174. Theophr. Ereſio L. III. Hiſt. pl. c. 13. L. I. Cauſ. c. 1.* itemque *Coo ipſo pluribus locis*, vnde adhuc hodie paſſim celebrata tragea granorum actes reſultat.

Vtque leue & inane deprehenditur & habetur ſambuci lignum, & apud *anonymum in fine Moſchionis*, item *Nic. Myrepſum in Gloſſar. Græc.* pro ſynonymo habetur κȣφοξυλέα, & ſi *Theophraſtum Ereſ. H. P. L. V. c. 4.* ſequamur, ἄκτινὸν ξύλον vocari debet ſambucus. Id factum ſine dubio fuit, quod fragilitas ligni occaſionem dederit huic denominationi.

Tacemus ob arboream proceritatem δενδρῆτιν vocari ſambucum, quæ aliis gemma audit, aliaque ſynonyma, ab aliis differentiis deſumpta, quorum apud Græcos habentur non pauca, quæ recenſere fuerit ſuperfluum.

Apud

Apud Latinos multa adhuc leguntur synonyma, quorum, ne quid desideretur, aliquam mentionem faciemus. *Ioh. Bauhinus* & *Tragus* sambucum vulgarem nominant, cum vel rudi quoque plebeculæ sit notissima hæc planta. Promiscue vero sambucum fructu in vmbella nigro legas, & sambucum vmbelliferam apud *Casp. Bauhinum* & *Anguillaram* aliosque plures, vt ab vmbellis, quas in flore & fructu fert elegantes, sic dictam fuisse opinari fas sit.

Mentionem quoque faciunt *Castor* & *Camerarius* vna vocari *sambucum domesticam*, siue vulgarem, & *campestrem*, & quidem à loco natali, cum in pagis prope omnes fere casas, & in sepibus iuxta campos hæc abunde progerminet.

Plinius & *Ryffius* sambuceam arborem, vel sambucum arborescentem dici volunt, quod proceritate & magnitudine arbori exacte respondeat, qua de causa etiam à *Plinio* inter arbores scutis aptas refertur.

Præter hæc varia a variis huic plantæ nomina sunt data, quæ si omnia commemorare animus esset, nimis prolixum foret, hinc breuitati studentes intacta relinquimus, præsertim cum maximam partem obsoleta & barbara apud rei herbariæ scriptores invenire liceat.

Ad nostram Germaniam vt reuertamus, fas erit vsitata sambuci nomina paululum perlustrare. Inuenimus itaque vocari illam vsitatissime Holunder, vel Holunder-Baum, quamuis nonnulli contracte Holder pronuncient, & quidem non sine ratione sic nominari interest, vel a cauitate ligni, vel potius ob multiplicem vtilitatem & gratiam, vt dicatur Holder quasi ab Hulder vel Huldreich deriuandam esse nefas dictu non fuerit. Alias appellatur Flieder vt Fliedermuß. In pagis audiunt baccæ siue fructus Zwercken, Zwieschen, Zweycken - Beer vel Schipcken. Reli-

quorum

quorum nominum etymologiam, licet aliqua coniectura euolui posſit, omittere placet, cum non de vocabulis, ſed de rebus dilucidandis agendum ſit.

Si locum attendamus natalem, non ſolum locis humidioribus, paluſtribus & vmbroſis, ſed etiam aliis in locis ſiccioribus reperitur, vix vllus enim datur locus, cui DEVS, benignisſimus pater hanc plantam polychreſtam non fuerit largitus, vnde ſponte in pratis incultis, ad ſepes & antiquos muros prouenit, & ſemet ipſam multiplicat, imo *in denen Dörffern bey allen Bauer - Hüttchen und Gärten* copioſe progerminat, nullibi vero magis creſcit, quam in coemeteriis, ad quæ loca â ruſticis laudabili conſilio relegatur, ne in hortis aliis arboribus & herbis locum præripiat, nam facillimo negotio ſemet ipſam amplificat.

Quod & aliis plantis, ad ſambucum plane non pertinentibus hocce nomen impoſitum ſit, patet ex *Hans Sloane Catalogo Plantar. quæ in Inſula Iamaica ſponte proueniunt. p. 165.* qui refert, quod groſſularia fructu non ſpinoſo malabathri foliis ſubtus niueis fructu racemoſo in vmbellæ modum diſpoſito Barbadenſibus ſub nomine ſambuci veniat. Sic ab *Amato apud Auicenn. L. II.* nomen ſambuci etiam Iasmino tribuitur, quando per ſambucum illud ſambac vel iasminum ſe intelligere ipſe fatetur.

Errorem eiuſmodi haud committeret vulgus, quando ſyringam germanice Spaniſchen vel Türckiſchen Holunder vocat, ſi accuratius flores ſambuci cum floribus ſyringæ conferret, ſiquidem hic ſigna reperiuntur, quibus facile à ſe inuicem hæ duæ plantæ diſtingui poſſunt.

Tacemus, *Ioh. Sambucum* Medicum Cæſareum & Polyhiſtorem cognomine fuiſſe, qui anno ætatis quinquageſimo tertio apoplexia fatali eruditorum morbo obiit.

Quid

Quid frequentius occurrit in rei herbariæ ſtudio, quam plantas inuenire vno nomine gaudentes, diuerſam tamen faciem, ſi non quoad totum, ſaltem quoad partem referentes. Idem fatum & ſambucus noſtra habuit, alia enim figura prædita eſt *Sambucus aquatica*, alia gaudet humilis ſiue *Ebulus*, alia *racemoſa rubra*, & adhuc alia conſpicitur ſambucus folio laciniato, vt alias taceam. Hanc differentiam magis magisque obſeruarunt rei herbariæ ſcriptores, quare duorum generum plantam noſtram eſſe primitus affirmarunt *Dioſcorides*, & *Plinius*, quia ſambucum arborem, & ſambucum humilem ſiue ſylueſtrem, verbo ebulum notauerunt tantum. His duabus vero ſucceſſu temporis a recentioribus botanicis multæ adhuc ſpecies ſunt additæ, ex quibus vnicam adhuc iam nominare conuenit ſambucum fructu in vmbella viridi ſeu ſambucum fructu albo, quæ gemina paucis abhinc annis hic in ſuburbio viſa fuit.

Promiſcue autem curioſi hodie botanici in harum ſpecierum numero definiendo diſſentiunt. Octo ſpecies recenſuit *Caſp. Bauhinus in Pinac. Tournefort in Inſtit. Rei herbar.* itidem octo, & in *Coroll.* adhuc vnam, adeoque in vniuerſum nouem, alii pauciores commemorant ſpecies.

Ordo nunc requirere videtur, vt reliquarum ſambuci ſpecierum nomina, & ſingularum ſynonyma, item faciem ſiue formam explicaremus: verum quia hoc poſt alios rei herbariæ ſcriptores ſatis præſtiterunt *Caſp. Bauhinus l. c. Tournefortius l. c. Raius Hiſtor. Plant.* conſultius iudicamus, eo remittere lectorem, præſertim cum non omnes iſtæ ſpecies in vſum vocentur medicum, quædam exoticæ ſint, & vna ferme ſit inſtar omnium ſambucus vulgaris, quæ ordinarie præ cunctis ſpeciebus reliquis aſſeruatur in officinis, & à medicis toto die præſcribitur.

Hæc enim cum in officinis noſtratibus fere vnica reperiatur, ac præ cæteris in vſum cedat medicum, potiſſimum diſſertationis noſtræ erit ſubiectum; quare eius definitionem iam tradere animus eſt: Sambucus vulgaris eſt arbor vbiuis obuia, variæ magnitudinis, flore pentapetaloide, rotato in vmbellam ſiue racemum compoſito, & in baccas ſucci plenas, atropurpureas, itidem vmbellatim poſitas, abeunte, ſeminibus vel granis plerumque ternis, planis & oblongis, ſingulis baccis incluſis, ramis leuioribus, fruticoſis & medulla plurima, fungoſa, alba & leuisſima infarctis, caudice plurima parte lignoſo, foliis alatis oblongis, mollibus, geniculatim poſitis, tota fere in vſum medicum & chirurgicum veniens.

Hiſce notis diſtingui poteſt a reliquis plantis, nec cum alaterno confundi debere *Cl. Knaut. Meth. Plant. gen.* oſtendit.

GENVS itaque conſtituit non tam planta, ne generalius nomen reddat dubium, quam arbor, cum inter vegetabilia huic affinia reperiantur plura, differentia ſpecifica deſumpta a floribus vmbelliferis & a ſeminum qualitate. Floſculi enim vmbellatim compoſiti cernuntur, &, ſingulis baccis in latiores racemos ſeu vmbellam congeſtis, ſemina plerumque tria plana & oblonga incluſa reperiuntur, & ſic à ſpeciebus ſui generis aliisque quoad florem huic plantæ conſimilibus multo magis diſcerni poteſt.

Talem figuram offert arbor noſtra, ſi eiusdem partes componentes ſimplices luſtremus, quoad folia, flores vmbelliferos, acinos vel arillos albos, nigros, turiones, lignum cauum in medio, & quando externam faciem conſideramus, iucundiora occurrunt in foliis viridibus, quæ ad partes continentes pertinent, & ad coſtam vnam annexa vtpluri-

mum

mum terna, quaternaue, imo interdum quina, ſeptena in vtrisque lateribus ex interuallis ramorum copioſe exeunt, & alata, oblonga, acuta, in ambitu minutim ſecta, atrouirentia notantur, odorem graueolentem & ſaporem nauſeabundum poſſident; aſſeruantur ſicca & arida in quibusdam officinis.

Flores hi in ramulorum extremitatibus & cauliculis in elegantes vmbellas aut racemos coacti albo colore corruſcant, ſingulus floſculus totidem gaudet ſtaminibus ad luteum colorem vergentibus, quot inciſionibus, & exiguo petiolo innixus, tandem plures in vnum communem coeunt, odorem de ſe ſpargunt gratum, diffuſum & panetrantiorem, quare odore ſuo fragrantiſſimo totam fere athmoſphæram adimplent, quod communiſſime menſibus Maio, Iunio & Iulio fit, quippe quo tempore flores & oculis & naribus percipiuntur, niſi maior varietas tempeſtatum id prohibeat.

Flores ſequuntur baccæ, quæ itidem in vmbellas compoſitæ initio virent, poſt rubeſcunt, & demum per maturitatem atropurpureæ, & ſucculentæ, ſuccum concolorem reddunt, reperiuntur tamen & baccæ, quæ plane albeſcunt. Grana ſiue ſemina aut nuclei parui, quorum in ſingulis baccis plerumque terni deprehenduntur & pericarpio ſuccoſo ſeu baccis in latiores racemos congeſtis includuntur, ſunt exigui, plani & oblongi.

Turiones, vel ſummitates, vel prima germina in ſtolonibus & ramulis primo vere copioſius reperiuntur, odorem habent penetrantem, & nonnihil nauſeoſum.

Lignum vel caudex durior deprehenditur, & a partibus continentibus membrana, & cortice mediano cingitur, quæ membrana in caudice rimoſa, ſordeſcens, in ſtolonibus vero ſubtilis, cinerea & quaſi argentea conſpicitur. Huic ſub-

iacet cortex herbaceus, immediate lignum inuoluens, officinis medianus dictus, qui multis neruosis fibris gaudens, facile à ligno separari potest, & tunc albescit. Sub hoc cortice cernitur lignum, quod in caudice, ex radicibus multis in terra dispersis exporrecto, & sursum ascendente durum & nonnihil cavum reperitur, in stolonibus vero & ramis paucum idque leue habetur lignum.

Consideraturis contenta plantæ nostræ primo loco occurrit succus, quo maxime gaudent stolones, itemque rami, ex quorum cortice mediano exprimitur, copiosius autem habetur in cortice radicis. Sic & oleum ex omnibus fere partibus haberi potest. Nec minus notabilis quantitas medullæ ligno sambuci includitur, quippe quæ medulla σαρκώδης plurima, albescens & leuissima deprehenditur in stolonibus & ramis leuioribus.

Adhæret interdum quoque caudicibus sambuci antiquis *fungus* siue spongia, ob figuram auris, quam repræsentat, Auricula Iudæ dicta, qui membranosus plexuque multiplici plicisque & mæandris distinctus apparet, & aquæ immersus ad spongiæ instar turget.

CAPVT II.

DE

Temperie & Viribus Sambuci.

CVm hactenus maxime structura & externa quasi facies sambuci considerationi subiecta sit, ab hac vero medicæ plantarum vires minime cognosci queant, ideo nunc conuenit, intimiora plantæ nostræ rimari, & latitantes in eadem virtutes e latebris suis eruere, siquidem ab harum præsentia & proportione in

qua-

qualibet planta vires medicamentorum dependere ſatis euictum eſt.

Manifeſtantur autem principia hæc optime per ſenſus. Sic color in ſtaminibus florum cernitur flauus, qui *D. Præſide* autore *in Tract. de Med. Facult.* teſtis eſt ſulphuris actiui ac eminenter præſentis, tum quantitate, tum qualitate & motu, vnde calidam eſſe ſambucum facile erit iudicare.

Diiudicatur hæc ipſa temperies etiam odore, qui teſtatur de particulis ſalino-ſulphureis, volatilibus in mixto hoc hærentibus, hinc ob ſulphur fragrantius & graueolens non paucis fit ingratus, & inuiſus hic odor, præſertim qui ex recenti planta exſpirat, imo tempore, quando hæc arbor albeſcit, hocce ſulphur caput grauare & membra torpida reddere aliquoties obſeruatum fuit.

Sed magis vires ſambuci manifeſtantur, quando tertium ſenſum, ſaporem nempe, conſulimus, hic enim minima diiudicat, ac ad intima penetrat, & eo ipſo mediantibus papillis nerueis linguæ deprehenditur ſulphur vitriolicum & amariuſculum, quod non, niſi cum nauſea, ob heterogeneitatem particularum deguſtari poteſt, & tam in crudis ſambuci partibus, quam præparatis contingit, quod in his tamen paulo mitius eſt.

Ex quibus patet ſambucum partibus ſalinis, volatilibus & ſulphureis expanſis gaudere, ideoque calidam temperiem in ſinu fouere.

Declaratis ita ſenſibilibus præcipuis ſambuci qualitatibus, nunc ad facultates viresque medicas explicandas facillimo negotio grogredi poſſumus. Quemadmodum vero *Ereſius Hiſtor. Plant. L. 1. c. 19. p. 22.* de plantis in genere earumque partibus minus contemnendam rationem profert, ἅπαντα, inquiens, τὰ μόρια τῶν δένδρων, καὶ τῶν φυτῶν, οἷον

ῥίζα, καυλὸς, ἀκρέμων, φύλλον, καρπὸς, ἔχει τινὰ οἰκειότητα πρὸς τὴν ὅλην φύσιν. *Vniuersæ arborum, plantarumque partes, vt radix, caulis, ramus, folium, fructus, cognationem quandam habere tota cum natura videntur;* ita hæcce obseruare consultum fuit. Vt enim natura ex miscela quadam elementari conflata existit, seu qualitatibus & temperamento gaudet suo; ita specifice determinatis ex illo eadem attribuuntur communia cum toto principia.

Si hæc dicta applicemus, & ad sambuci κρᾶσιν καὶ μίξιν respiciamus, communiter temperamentum sambuci, sensu ipso & effectu teste, iudicari calidum & siccum legimus, idque gradu primo. Ob partes enim salinas, volatiles & sulphureas expansas, vt & fixiores alcalicas, & sulphureas calorem sanguinis auget, eumque sic rarefaciendo difflationem & secretionem seri promouet, & certe supra indicatus sapor & odor calefaciendi non obscuram produnt, multoque magis siccandi facultatem.

Consentiunt quoad siccandi facultatem experientia ducti ipsemet *Pergamenus L. VI. simpl.* itemque *Fuchsius* & *Amatus Lusitanus* aliique, qui sambuco resiccandi, conglutinandi ac modice digerendi facultates adscribunt; sed & aliæ facultates adsunt, nam sambuci quidem cortices, folia, prima germina, flores ac fructus non modo resiccant, sed & calefaciunt.

Frigidam vero hanc plantam esse contendunt *Actuarius* & *Plinius*, & quidem prior contra laudatam rationem, posterior frigidum temperamentum de ligno, & non de cæteris partibus intelligit, quod exinde patet, quia illo in loco, vbi frigidam dicit sambucum, tantum de vsu ligni loquitur.

Alii hancce ob causam sambucum eiusque aquam frigida esse temperie statuunt, cum ab applicatione aquæ in erysipelate sinister euentus aliquoties sit secutus, vbi quidem

talis

talis effectus potius peruerſæ applicationi attribuendus; teſtis eſt quotidiana experientia, quod interdum purum putum phlegma in officinis ſub nomine aquæ deſtillatæ ſambuci exhibeatur, eryſipelas autem madida perferre non poteſt. Hinc facile concludere licet, ſambucus frigida temperie eſſe haud poteſt, quæ enim reſoluunt, & ſeri difflationem promouent, frigida eſſe haud poſſunt.

In praxi quidem ſæpius dicitur refrigerare ſambucus, quoniam ab eiusdem applicatione in inflammationibus calor ceſſat, ſed committitur hic fallacia non cauſæ, vt cauſæ; hoc certum, ſambucus inflammationes abigit, ſed reſoluendo ſtaſin ſanguinis, & difflando partes calidiores in ſanguine ſtagnante exiſtentes, non refrigerando abſolute.

Hinc ſatis inter omnes conſtat, quam valide citra magnos naturæ motus per inſenſibilem tranſpirationem omnia ex hac arbore parata medicamenta diſcutiant, ſerum ducant, pellantue; incidendo enim & attenuando in motum cient humores lentos, & ad corruptionem pronos corrigunt, ac noxios eliminant, inſimul blande abſtergunt vaſorum & meatuum obſtructiones.

Tota vero planta iuxta ſingulas partes medicinalis eſt, ideoque pro diuerſa intentione variaque corporis conditione nunc flores, nunc baccas, nunc corticem medianum, nunc ſpongiam, nunc turiones in vſum vocare conuenit, ſiquidem hæ ſingulæ partes pro vario vſu in officinis proſtant. Nec tamen reliquas partes ſambuci plane ſteriles eſſe, veteres docent, qui nunc folia, nunc ſuccum radicis, nunc lignum, nunc radicem ipſam in variis affectibus non ſine omni fructu adhibuerunt, licet hodie obſoleta rarius imo rariſſime in vſum cedant medicum, iam enim multo præſtantiora & tutiora in armamentariis proſtant medicis.

Diu

Diuidi hinc possunt commode vires sambuci, quæ diuersæ notantur, vt tanquam vniuersale, in quo iuxta *Barthol. Med. Dan. Diss. I.* plus medicinæ latet, & tutior omni tempore salubritas, quam in pomposis antidotis, patre theriaca, & matre, mithridatio, omnium fere medicamentorum catalogo inferri possit, in vniuersales, quæ toti corpori conueniunt, & particulares, quæ certis partibus seorsim dicatæ.

Primo loco laudari debet vsus *diaphoreticus*, isque communissimus. Nam ob particulas salino-sulphureas, volatiles, viscidos ac lentos humores dissoluit, attenuat fluxilioresque reddit; hinc serum fundendo, & exhalationi aptando illud per glandulas subcutaneas copiosius eliminat. Quare egregium celebratur medicamentum ad omnes febres, & præsertim quartanam, inflammationes, omnium maxime erysipelas, tam præseruandi, quam abigendi fine. Hunc in finem sæpius à *D. Præside* vt egregium specificum in erysipelate præcauendo & abigendo, tam interne quam externe, commendatum fuit. Id quoque affirmat cum *Solenandro Consil. Med. XII. S. 5. Sim. Paulli in Q. B.* qui huius præstantiam in erysipelate, qua multa generosa remedia antecellit, multum celebrant. Simili modo in erysipelate dilaudatur à *Michael. Not. ad Schroed. p. 605.* & *Phil. Gruling. Florileg. Chim. p. 29.* qui adhuc in *febribus quartanis* celebrant sambucum vt insigne medicamentum.

Sic etiam ob vim diaphoreticam, qua multas particulas aqueas, oleosas, salinas & sulphureas sub nomine sudoris per poros cutis eliminat, in *corpulentia nimia* vtiliter adhibetur, promiscue autem ob effectum, quem toto die edit, refrigerandi fine in omnibus inflammationibus, febribus, variolis, febribus petechialibus, erysipelate summa vtilitate in vsum vocatur.

Per

Per ſudorem vero ſambucus non ſolum aqueas, ſalinas & ſulphureas particulas, ſed & malignas & peregrinas tam potenter è corpore eiicit, vt vulgus etiam illam & eius præparata theriacæ adæquet. Vt enim theriaca potiſſimum laudatur, quod ſit antidotus contra venena; ita & ſambucus eodem nomine celebratur; quippe motum humorum deficientem reſtaurando fieri non poteſt, quin etiam vna eundem vitioſum vel fermentatiuum, præternaturalem, & ad corruptionem ſeu putredinem tendentem auertat & emendet. Hinc inſigni cum fructu non ſolum per ſe, ſed & cum aliis alexipharmacis mixta adhibetur contra venena, morbos malignos & contagioſos, imo *peſtem* ipſam ſuo loco, tam curandi, quam præſeruandi fine.

Quemadmodum autem ſambucus maxima *evacuandi* vi pollet, ita non ſolum ſerum ſubtilius redditum per poros cutis, ſed & per vias *vrinarias* educit, & ſic quoque, cum fundat ſanguinem, partes viſcidas lentas, tartareas incidat, & poros renum dilatet, humectando & lubricando, diureticum laudatur remedium.

Hic commemoranda venit curioſa obſeruatio *Phil. Grülingii, in Florileg. Hipp. Herm. Chim. p. 27. C. 4.* vbi de *medulla* ex ramis *ſambuci* aſſerit, quod illa, ſi in minores partes diuiſa, deuoretur, potenter obſtructionem tollat, calculum reſoluat, & egregie hydropicos iuuet, ſed niſi ſtimulando & irritando id agat, aliter non patet ratio, quomodo hoc fiat, cum alias medulla plane omnis qualitatis expers ſit.

Seorſim vero, cum non ſolum humores ſeroſos, & materiam aquoſam per vrinam, ſed & per alias vias publicas educat, inter *purgantia* referri meretur, viſcera enim humectando, emolliendo & aperiendo, ſpiculisque ſuis ſalinis irritan-

ritando purgandi vim obtinet, ſed quandoque non abſque moleſtia & ventriculi incommodo.

Hinc ob vim *purgandi* aquoſos humores & pituitam, inſigne celebratur *antihydropicum* medicamentum apud multos, qui ſambucum, & eius præparata egregie hydropicos iuuare aſſerunt. Sed cum hodie concentratiora & tutiora proſtent remedia antihydropica, iam laudata ſambucina rarius a medicis præſcribuntur. Multum quidem laudatur hunc in finem ſuccus radicis *à Minderero Med. Milit. c. VI. Velſchio Chil. 1. Exot. Curioſ. Obſerv. 12.* qui egregium ad aquas hydropicorum educendas huncce deprædicant, itemque *à Cratone L. VI. c. 74.* qui ſuccum ſine moleſtia purgare aſſerit. Sed cum ipſe *Mindererus* fateatur, cautius eſſe cum hoc mercandum ob vires antimonio vehementiores, inprimis vero *D. Præſes de Med. Fac. L. II. S. 1. c. VII.* ob minus tutam adhibitionem hodie nunquam uſurpari aſſerat, ideo præſtat ex aureo monito modo laudati *D. Præſidis in Amoen. M. M. L. II. S. 1.* hæcce magis pro vſu externo traumatico vſurpare, præſertim cum longe efficaciora hodie proſtent. Alias & *ipſe Cous* mercurialem & ſambucum inter purgantia refert, & aluum magis mouere quam vrinam ſcribit, *l. 2. de Diæt. c. 28.*

Eadem quoque dicenda ſunt de ſambucinorum vi *emetica*, digerendo enim & lubricando primas vias *vomitum cient*, quæ, licet ob hancce virtutem a *Mart. Blochwitzio per tot.* valde celebrentur, cum partim diffuſa nimis, nauſeabunda, & grauantia, partim violentiora, partim ingrata ſint, ideo magis conuenit tutiora eligere.

Sic ob ſulphur blandum & vaporoſum, quod ſeſe in poros inſinuat, & ibi demulcendo agit, non ſolum *ſomnum ciet* ſambucus, quare & circa tempus, quando ſambucus floret,

ſatis

ſatis diu dormiunt homines, ſed & inſigne *anodynum* audit; hinc in *arthritide ſcorbutica* & *podagra, doloribus hæmorrhoidum, ſpasmis, odontalgia, paſſione hyſterica* & aliis affectibus, ab acrimonia ſanguinis proficiſcentibus, conducere aſſeritur.

Inter reliquas virtutes ſambuci non minima eſt, quod ſambucus in *obſtructionibus*, quæ ab humore viſcido lento, vel acido fortiori, & fixiori ortum habent, vtiliſſima ſit; incidendo enim & attenuando viſciditatem ſanguinis corrigit, & eius vigorem reſtituit, vt ὀργασμὸν debitum acquirat & exitum. Prodeſt hinc non ſolum in *hepatis*, *lienis* reliquorumque viſcerum *obſtructionibus*, *ictero*, *ſcorbuto* & *cachexia*, ſed & *ſanguinis menſtrui* exitum promouet, & ſic *emmenagogam* habet virtutem.

Inſignis quoque circa ſambucum vſus, isque à *Langio in Miſcellan.* valde celebratus, iam conſiderandus venit, quod nempe egregie *lac augeant* flores ſambuci cum lacte cocti. Meminit huius *D. Præſes in Amoen. M. M. L. II. S. 2. c. 13.* qui floribus ob oleoſitatem, qua chylo ὀργασμὸν fœnerant maiorem, eandem vim attribuit cum *ſemine nigell. aniſ.* Similiter conſentit *Dolæus Epiſtol. IV. ad Waldſchmid.*

Excellens certe conſtituunt medicamentum ſpecificum ſemina in *dyſenteria*, quæ a *Ioh. Hartmann. Prax. Chim. Ioh. Hisk. Cardilucio Officin. San. p. 469. Petr. Borello Cent. II. Obſ. 40.* cum pane biſcocto, *Mich. Ettmüllero Oper. Med. Tom. II. p. 157.* ſumme celebrantur.

Nec minor vtilitas emergit ſambuci in ventriculo affecto, incidendo enim & attenuando craſſos crudosque humores ventriculo grata exiſtit, & appetentiam excitat.

Multum adhuc pro vſu interno facit FVNGVS iſte, caudicibus ſambuci adhærens, qui *Dodonæo* gummi, *Lobelio cum Pena* excrementum corticoſum coriaceumue audit, *Frid.*

Hoffmannus in Not. ad Schröder. vero abſceſſum vocat. Ob copioſas terreſtres particulas adſtringendi magis & reſiccandi vim obtinet; hinc iuxta *Schenckium Obſerv. Med. L. II. f. 241. Ol. Wormium in Muſ. L. II. Hadr. Mynſicht. Armam. Med. Chim. S. XXVII.* inflammationes incipientes ſedat, itemque vlcera oris tollit, ideoque in angina remedium exiſtit ſatis proficuum. Pari ratione etiam vtiliter adhibetur in aphthis infantum, tumoribus & inflammationibus tonſillarum, columellam laxiorem reprimit, in variolis & morbillis quibusdam commendatur, nec minus affectibus oculorum medetur, ſiquidem æſtum & ruborem tollit, cum aqua ophthalmica infuſus & applicatus. Ob mucilaginem ab humidis conciliatam alii & emolliendi virtutem laudant.

Cum vero hactenus multa de multiplici vſu ſambuci interno dicta ſint, nunc conuenit, vt eiusdem præſtantiam, quæ in affectibus externis ſumme celebratur, dilaudemus. Conſultum itaque fuerit, vt primo loco laudibus illuſtremus ſambuci vim emolliendi, reſoluendi & diſcutiendi, quæ certe ab omnibus medicis inſigniter commendatur, ob mucilaginem enim laudatam emollit, ob ſal volatile & ſulphur penetrans, halituoſum poros cutis aperit, humores ſtagnantes reſoluit, diſcutit, fluxilioresque reddit, ita vt pars affecta priſtinum robur acquirat, & ſibi reſtituatur. Hinc in omnibus inflammationibus, eryſipelate, arthritide ſcorbutica, podagra, tumoribus, ambuſtionibus & morſibus animalium inſigni cum fructu adhibetur planta noſtra, & eius præparata, quæ præſertim in eryſipelate externe pro ſpecificis laudata ſunt quampluribus.

Quod ſambucus quoque ob vim diaphoreticam *anodynum* ſit, patet, quia inſigni cum leuamine ægri applicatur in arthritide & podagra; particulæ enim ſulphureæ blandæ

ſeſe

ſeſe inſinuant poris & rodentem acrimoniam inibi latitantem demulcent, & abſtergunt, ſtaſinque, fibrillas nerueas affligentem, expediunt.

Cæterum de ſucco corticis mediani & baccarum maturarum aſſeritur, quod facto prius fotu & lotione cum lixiuio, quo vaſa eluuntur, illitus hic ſuccus *verrucis* eaſdem abſumat, ſed longum tempus requiri ad curationem hancce, quilibet videbit. An vero verrucæ cum ramo viridi ſambuci fricatæ & reiecto ramo in fimum cum putredine & deſtructione rami etiam deſtruantur, & euaneſcant, hoc iudicio lectoris relinquimus, certum eſt experientiam de hoc effectu eſſe rariſſimam, imo plane nullam.

Nec prætereundus eſt vſus *chirurgicus*, quem ſambucus præbet, commendatur enim à chirurgis nouellorum ramorum medulla, quæ, licet alias omnis qualitatis expers ſit, ob ſubſtantiam tamen poroſam reſiccata atque nonnihil compreſſa, aut contorta, ad fiſtularum anguſtiora ora dilatanda multum facit. Sic legitur hiſtoria apud *Sim. Paul. l. c.* quod loco ſiphunculi argentei vel ænei meliori ſucceſſu adhibitus ſit ſiphunculus ex ramis ſambuci paratus in angina. Tacemus laudari alias ſambucum in vulneribus, paronychia, imo glutinare & ὑποφορὰς *cauernoſa vlcera* curare.

CAPVT III.
DE
Præparatis & Vſu Sambuci.

CVm hodie præcipue à medico practico requiratur, vt non ſolum cito & tuto, ſed etiam iucunde curet; itaque omne ſtudium omnemque operam in eo collocare debet meritò, vt medicamenta, quæ

vel cruda exhiberi non poſſunt, vel ægrotis ingrata & nauſeoſa exiſtunt, per præparationem congruam in iucundam formam redigat, atque ita palato gratiora, & ad aſſumptionem aptiora reddat; ſi hæc nouerit medicus, felix erit practicus. Quare cum idem & de noſtra arbore dicatur, quod nempe per ſe exhibita non æque palato blandiatur; hinc conſultum erit, ſambucum, vti ferax eſt qualitatum ratione, ita & præparationum & compoſitionum copia ſuperbientem iam luſtrare.

Tota fere ſambucus in vſum cedit medicum, licet non tota hactenus in officinis ſit recepta; omnium vero maxime aſſeruantur *Flores*, qui recentes in lacte cocti euporiſton celebrantur a *Solenandro* & *Sim. Paul. l. c.* in eryſipelate, vbi quoque hi flores in ſero lactis infuſi & modice cocti ac expresſi, ſi mane & veſperi per triduum bibantur iuxta *Michael.* & *Grülingium l. c.* remedium exiſtunt reuera egregium dicendum, quod & in febribus quartanis ab illis commendatur.

Sic quoque flores aut ſero lactis, aut lacte ipſo cocti, quorum expreſſus liquor propinatur, laudantur in hydrope, ad vrinam ciendam, in obſtructionibus hepatis, lienis, menſium & reliquorum viſcerum, nec minus hoc decoctum, per dicta, inſigniter lac auget, ex huius vero vſu puerulis diarrhoeam excitatam fuiſſe *Ioh. Muralt in Kinder und Heb-Ammen Büchlein* obſeruauit. Tacemus hocce decoctum ſub forma cataplasmatis ſæpius in eryſipelate adhiberi, aliisque inflammationibus, tumoribus, arthritide & podagra, ſed cauta ſit applicatio, ne repellamus. Florum ſiccatorum vero vſus communiſſimus, isque laudatiſſimus eſt in eryſipelate aliisque inflammationibus, & tumoribus. Sic conſtat eos communiter recipi ad pulueres eryſipelatodes, ex quibus præ reliquis celebrari debet præſtantiſſimus pulvis *D. Præſidis*,

qui

qui *in Diss. de Musco terrestri clauato* descriptus est, & toto die ob egregiam virtutem se magis magisque commendat.

Nec reticendus est sequens puluis, qui præstantiam suam in erysipelate aliisque inflammationibus hactenus pluribus vicibus probauit: ℞ *flor. Samb.* miij, *residui Decoct. Saturn. exsiccat. unc. sex, myrrh. camphor.* a. *scrup.* IV. M. F. Puluis. Inprimis autem siccati flores recipiuntur ad sacculos discutientes in inflammationibus, erysipelate, tumoribus mammarum, à lacte coagulato, aliisque tumoribus. Puluerisatos flores, & cum vino assumptos contra omnis generis venena prodesse expertus est *Gabr. Fallopius L. I. Secret. p. 126.* quo de difficile erit experimenta instituere. Sic flores quoque adhibentur cum aliis ad infusa in inflammationibus & febribus

Aqua paratur affundendo floribus sufficientem quantitatem aquæ calidæ simplicis, & tunc destillando l. a. quæ aliquoties nouis floribus superinfusa, & iterum destillata aquam exhibet egregiam. Hæc aqua summa cum vtilitate præscribitur à medicis in potionibus, mixturis, ad omnes febres, & præsertim quartanam, inflammationes, omnium maxime ad erysipelas, contra quod potio polychresta apud *Langium in oper.* describitur, quæ ex aqua florum sambuci, eiusdem rob, pauco melle, & spiritu salis, vt insigne pro potu ordinario laudatur remedium. Hinc etiam in variolis, morbillis, febribus petechialibus, ex floribus destillata aqua non minori vtilitate se commendat.

Egregii quoque vsus est hæc aqua in hydrope, dum aquosos humores per vrinam educit, qua de causa hydropicis a *Roder. a Fonseca Tom. II. Cons. 39.* commendatur, & in hydrope *Petr. Krauss.* valde familiarem fuisse aquam testatur *Horstius L. IV. Observ. & Epist. Med. 39.* Sic extat aqua hydropica ex sambuco apud *Hoffmann in Thes. Pharm.*

Schröd.

Schröd. p. 24. Nec minus ſe commendat hæc in hepatis, ſlienis, menſium, reliquorumque viſcerum obſtructionibus, vbi cum ſucceſſu aliis mixta propinatur. Externe vero in eryſipelate, aliisque tumoribus & inflammationibus, ſed circa huius vſum proſpiciendum, vt legitimo modo applicetur iſta, alias ſiniſter euentus ſequitur. Recipitur quoque hæc aqua ad clyſteres.

Huic aquæ conſimilis habetur iſta, quæ ex tota ſambuco deſtillatur, & in *Offic. Gothan. p. 68.* legitur, quippe quæ in iam laudatis affectibus vtiliter adhibetur, præſertim vero in inflammationibus & febribus celebratur, ſicuti hunc in finem & aqua febrifuga ex ſambuco paratur.

Paratur quoque *ſpiritus* ex floribus cum ſpiritu vini ſimplici, iuxta *Blochwitzium* vero ab aqua per phiolam noua deſtillatione lento balnei calore ſeparatur, qui in iisdem affectibus, vt aqua, maiori vtilitate ſeſe commendat, & deprehendimus huncce ſpiritum ingredi omnes fere formulas ſudoriferas ſupra laudatis in affectibus. Sic ſpiritus celebratur quoque à *Sennerto L. V. inſtit. Med. p. 3. S. III. c. 5.* in ſpasmis, ab aliis in arthritide, odontalgia, ſi in ore detineatur, & os cum eo colluatur. In genere notari meretur inſignem medelam facere hunc ſpiritum in morbis malignis & contagioſis, ſi cum aliis alexipharmacis miſceatur; hinc ſumma cum vtilitate recipitur hicce compoſitus cum *Cort. Citr.* menſtrui loco in *D. Præſidis Tincturam Bezoardicam eſſentificatam* decantatiſſimam, quod medicamentum certe & autore & virtutibus eſt celebratiſſimum.

Poteſt quoque ex floribus recentibus groſſo modo inciſis parari *conſerua*, quæ pariter easdem cum floribus habet virtutes, vt illas iam repetere ſuperuacaneum ſit. *Oleum* vero expreſſum ex arillis vireſcens magis vſurpatur, vbi emol-

emolliendum, digerendum, lubricandum, hinc prodest in tumoribus, ad vomitum ciendum, & purgandi fine, sed vehemens & anxietates maximas pariens, ideoque inusitato, & consultius magis, cum semine lycopodii, vel floribus sulphuris etiam, in scabie. Vnde & balsamum sulphuris externum quidam inde parant, in affectibus frigidis, paregoricum.

Vinum, quod cum floribus infunditur, in febribus non plane temnendum, si modice sumatur. *Acetum* vero ex floribus, infusione paratum, & cum theriaca mixtum, maiori vtilitate adhiberi potest, in febribus, imo & peste ipsa, aliisque morbis malignis. Vtiliter quoque hocce acetum cibis permiscetur, quippe hoc modo gratum ventriculo appetentiam excitat, crassos crudosque incidit, & attenuat humores. Sic *Eman. Koenig* acetum ex floribus egregium discutiens & refrigerans in inflammationibus variis vocat, & præsertim in erysipelate & arthritide pannus è cannabe in Sperm. Ranar. sæpius intinctus, ac tinctura croc. cum hoc aceto florum sambuci infectus, maxime si prius sapone Veneto inunctus sit, multum dilaudatur. *Essentiam* è floribus & foliis parat *Sala*, *sect. 3. C. 2. §. 5.* sed effœtam procul dubio.

Nec minor vtilitas celebratur *baccarum*, quam florum, siccatæ enim & pulverisatæ in erysipelate, febribus aliisque inflammationibus valde laudantur, & ob egregiam vim diaphoreticam, qua multas particulas aqueas, oleosas, salinas & sulphureas per poros cutis eliminant, baccar. siccatar. ℥j. per longius tempus in vino albo cum pauxillo cinnam. sumptam in corpulentia nimia vtiliter adhiberi asserunt. Tali ratione quoque laudantur in hydrope, ictero, passione hysterica & aliis affectibus, ab acrimonia sanguinis proficiscentibus.

Pari modo aqua ex baccis ſambuci parata, itemque ſpiritus ex acinis per fermentationem ſimiles cum aqua & ſpiritu florum præſtant effectus in ſupra laudatis affectibus. Baccarum vero *ſuccus inſpiſſatus*, ſiue *rob*, vti vulgo eſt notiſſimum, ita & familiarisſimum, quo promiſcue, nullo in conſilium adhibito medico, ſibi ſudores prolicit, cum hauſtu aquæ card. bened. Imo notari meretur, quod vulgus ſpiritum vini ſuper rob infuſum accendat, & tunc febricitantibus ad cochlear calidi huius rob exhibeat ante paroxysmum, deinde æger ſudare iubetur, quod ter repetitum febrilem æſtum ſenſibiliter minuere dicitur. Hinc ob virtutem antifebrilem hocce rob etiam electuaria ſudorifera in febribus ingreditur, & hunc in finem baſin conſtituit hocce rob præſtantiſſimi iſtius *Fermenti febrifugi*, & *Maluatici ſambucini D. Præſidis*, quæ medicamenta certe non ſolum facili negotio præparantur, ſed & inſignem exerunt effectum, à pluribus valde celebratum. Imo hocce rob adeo præſtans eſt, & particulas malignas & peregrinas tam potenter è corpore eiicit, vt vulgus etiam illud theriacæ adæquet, toto enim die experiri licet, vulgare apud ruſticos in omni fere morbo eſſe medicamentum ſumptum cum ſpiritu frumenti, quo facto ad ſudandum ſe reponunt, & tunc iterum ſani euadunt, hinc merito ruſticorum theriaca ſiue panacea dici meretur. Quare etiam ſumma cum vtilitate contra venena, peſtem & morbos malignos non ſolum curandi, ſed & præſeruandi fine adhibetur.

Referri huc poteſt notabilis hiſtoria, quæ in *Laurembergii Acerra Philol. Cent. I. pag. 93. ex Mich. Neandri Phyſic.* recenſetur, *vnd von der wunderbahren Krafft des Holunder oder Flieder-Baums* inſcripta eſt. *Es ſoll in Teutſchland ein regierender Printz einſtmahls auff der Iagt geweſen ſeyn,*

seyn, vnd sich von seinen Leuthen, tieff in den Wald hinein, verirret haben, woselbst er ein kleines Bauer-Häusgen, vnd vnter dessen Hauß-Thüre einen alten Greissen sitzen sehen, welcher sehr geweinet. Der Printz habe sich über diesen venerablen Alten sehr verwundert, vnd ihn gefraget, warum er weine? Worauff solcher geantwortet, er seye von seinen Vater geschlagen worden. Bey Vernehmung dieser Worte wäre der Printz in noch grössere Verwunderung gerathen, wie leicht zu erachten, vnd habe gefraget, was die Vrsach der Schläge gewesen? Vnd zur Antwort bekommen, sein Groß-Vater seye ein sehr alter Mann, der nicht mehr gehen könte. Solchen hätte er, der Weinende, auff den Tisch heben sollen, ihn aber fallen lassen, weswegen sein Vater den Prügel zur Hand gesuchet. Vber diese Erzehlung wäre der Printz vollends in das höchste Erstaunen gesetzet vvorden, seye abgestiegen, in das Haus gegangen, vnd habe diese alten Männer alle drey besehen, da er dann, auf fernere gethane Fragen, vernommen, vvie der Erste, so gevveinet, achtzig, der Vater hundert und drey, der Groß-Vater aber hundert und acht und zvvantzig Iahr alt gevvesen, und fast nie andere, als Milch-Speisen und Holunder-Safft, sonst Flieder-Muß genannt, gegessen, auch iederzeit pures Wasser getruncken hätten.

Hæc historia, si vera est, docet, horum senum mirandam senectutem, partim ex bona diæta, partim ex vsu rob sambuci prouenisse, cuius balsamica vi & alexipharmaca totum corpus ab omni malignitate præseruarunt. Sic & hocce rob vti sudorem, ita non minus vrinam ciet, & hinc in hydrope, & ictero vtile existit remedium. Vti vero nullum præparatum ex sambuco maiori gratia assumitur, quam rob, ita etiam frequentius præ aliis in vsum vocatur, imo fœminæ

ipſæ, alias delicatulæ magis, poſt iram vel terrorem prægreſſum, & ſi circa præcordia anguntur, hocce rob cum aqua ſambuci, vel C. B. ad ſudorem mouendum vtuntur quam ſæpisſime, ne eryſipelas vel aliud malum accedat.

Sed vt omne nimium vertitur in vitium, id quoque ad rob ſambuci applicare licet, conſtat enim ex *Salmuth Cent. II. Obſ. 11.* quod ex nimio eiusdem eſu hepaticus fluxus ortus fuerit. Externe vero hocce rob, vti ab *Agricola Chirurg. paru. Tract. V.* & *Grülingio Florileg. Chim. 566.* & *Med. Curat. Cent. III. Obſ. 27.* obſeruatum fuit, emplaſtri forma vtiliſſime in inflammationibus, ambuſtis, ac a cane demorſis adhibetur, feruorem enim mitigat, & extinguit, portionesque ferocientes expellit, omnemque exulcerationis metum tollit. In febribus ad plantas pedum applicatum eandem virtutem exſerit.

Extractum, quod ex ſambuco paratur, & in *Officin. Gothan. p. 123.* extat, in iisdem cum rob prodeſt affectibus. Laudatur & puluis ſeminum in dyſenteria, & præſertim ex ſeminibus parata *Tragea granorum Actes*, & ab *Hartmann. Prax. Chimiatr.* deſcripta, vt inſigne ſpecificum arcanum aduerſus dyſenteriam à *Cardiluc.* in *Offic. San.* commendatur. Conſultius paratur panis, ex farina ſecalina piſta, cum acinis recentibus maturis contuſis, ſubſtantifice loco aquæ, hinc coquendo in fornace diſciſſus, in fruſta oblonga, exſiccatur, vt inſtar panis biscocti tinctura gaudeat, & ab acinis virtutem roborantem ſortiatur, vel per ſe aſſumendus, vel cum aliis miſcendus in puluere.

Turiones ſiue gemmæ, primo vere progerminantes, purgandi fine aſſumuntur communiter, vt acetarium cum oleo oliuarum, aceto & paſſulis minoribus, vel etiam acetariis miſcentur, ita, vt a vulgo pro vniuerſali purgante habean-

beantur, quo ſe per totum annum à morbis præſeruare autumant, ſed infelici aliquando eventu; quare hancce conſuetudinem culpat *Sim. Paul. l.c.*, qui refert, quod euporiſton ſibi paret vulgus ex turionibus acetarii forma, eo fine, vt ſe à febribus præſeruent, ſed malum euentum ſæpe fuiſſe ſecutum ab eorum eſu, nempe febres aliaque ſymptomata ſibimet accerſiuiſſe. Sic & hoſce turiones cum ſpinachia & brodio carnis in pultem coquunt, & tunc aſſumunt, ſub qua forma tutior eſt eorum vſus, coctione enim crudiores particulæ infringuntur, attamen obſeruatum fuit, quod prima hæc germina cocta & aſparagi modo aſſumpta ventriculo perturbato vomitiones fecerint. De hypercatharſi ex eſu turionum ſambuci vid. *Ephemerid. German. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 17. p. 48.* & ibi notata alia, ob ſulphur nauſeabundum, vitriolicum, ingratum.

Extant de ſucco radicis & turionibus ſambuci encomia, ſed cum ἄνω & κάτω purgent ad inſtar antimonii, & efficaciora proſtent longe, conſultius eſt abſtinere ab hiſce vehementibus. Idem dici poteſt de *Conſerua* turionum ſambuci, quæ in *Offic. Gothan. p. 118.* deſcribitur.

Infuſum ipſum cum vino, quo à multis cura vniuerſalis ad ſanguinem purificandum inſtituitur, cautius propinandum, quia facile vomitum moleſtum aliaque mala præſertim ventriculo perturbato excitare poteſt.

In genere autem hi turiones, & ex illis parata, ob ſaporem nauſeabundum ventriculo ingrati exiſtunt, ſiquidem vomitus moleſtus, tormina & diarrhoea excitata fuere ex illorum eſu; ſic coma quoque obſeruatum fuit ex crudis iulis comeſtis, teſte *Bartholin. Act. Haffnienſ. Volum. I. Obſ. 79. p. 164.* Hinc tutiora magis eligantur, præſertim vero delicatiores ab horum vſu abſtineant, vel ad ſummum plebeiis ſua cura annua groſſior relinquenda.

Et hic quoque ſimul memorari meretur curioſa obſeruatio, quæ in *E. N. Schweitzeriſchen Hauß-Buch* extat, in quo Heluetus quidam ex vſu turionum ſambuci, plenilunio ante feſtum paſchatos decerptorum, & acetarii forma adhibitorum, centum annos vixiſſe legitûr. An vero hæc ætas ab eſu turionum prouenerit, an potius ex accidenti contigerit? merito dubitatur. Hoc non negandum, quod aliquid ad vitam longam contribuere potuerit.

Ex *fungi* maceratione & coctione in lacte fit gargariſma, quod inflammationes incipientes mitigat, vlcera oris & anginam curat. Infuſum vero vel decoctum in cereuiſia aut vino pro potu ordinario conducere, & in morbillis, variolis & hydrope laudatur, ſed minus quoque id vſitatum, potius puluis à *Camerario* in hydrope commendatur.

Nec ſua laude eſt priuandus *cortex medianus*, huius enim ramenta pedibus vel loco affecto repetitis vicibus circumligata laudatum conſtituunt remedium in eryſipelate, aliisque tumoribus calidis, itemque iuxta *Sim. Pauli c. l.* & *Grülingium Florileg. Hipp. Herm. Chim. part. 26.* in podagra, ſed hic notandum, ne tam ſucculenta, & multis particulis aquoſis referta, in vſum vocentur, alias repellunt. Tutius res procedit, ſi ex obſeruatione *Dioſcoridis* cortex aut folia tenera ac virentia cum polenta miſceantur, quippe ex quo æger in inflammationibus, ambuſtionibus & morſibus à cane inſigne leuamen percipit.

Et præſertim hic cortex in ambuſtis inſignem fert opem; hinc macerato cortice in oleo oliuar. vel roſar. oleum exinde contra ambuſta adhibetur. Sic vnguentum ex cortice hoc extat apud *Matthiol. in Comm. ad Dioſcor. L. IV. C. 168.* quod etiam recenſet *Sim. Paul. c. l.* Præſtantiſſimum autem deprædicant *Alfonſ. Ferrius in Tract. de Sclopet. vulner L.*

II. C.

II. C. 19. Forestus, L. XXXI. Obs. 8. & L. II. Obs. Chir. 18. Montanus, Cons. 119. Helid. Paduan in Cur. & Consil. Med. p. 318. Borellus, Cent. I. Obs. 50. Velschius Exot. Curios. Chil. I. Obs. 45. Sennertus L. V. Prax. C. 18. P. II. & alii plures vnguentum ex cortice mediano ad membra ambusta, quod in *Pharm. Augustan.* & *Dispens. Brandenb.* reperitur, in quo cocturam improbat solertissimus *Zwelfferus*, & loco coctionis digestionem substituit. Paratur quoque ex eius succo cum cremore lactis mixto vnguentum egregium, quod scabiosis conducit.

Infusum vero vel decoctum corticis mediani cum cereuisia vel vino commendatur ad vrinam ciendam, item in hepatis, lienis, mensium obstructionibus, sed minus tuta est eius exhibitio, præsertim in delicatioribus, quare melius omittitur. Quod vero huius corticis decoctum tanta virtute polleat, vt pestem abigere queat, dubitare licet. Habetur quidem exemplum apud *Ebrodunens. L. V. Vniuers. Hist. Plant. C. 23. p. 547.* de corticis mediani decocto cum theriaca exhibito, sed virtutem alexipharmacam magis theriacæ, quam decocto huic adscribendam esse, credere fas erit, si consideramus, particulas in cortice esse crudiores & minus respondere illis, quæ in floribus & baccis deprehenduntur, quippe multo subtiliores & penetrantiores ad miasma virulentum è corpore eliminandum experiuntur. Id quoque valet de huius corticis virtute venenis resistendi, quam *Grüling. Floril. Chim. Part. XXV. C. 2. pag. 493.* valde deprædicat, externe tamen aliquid præstare potest.

Folia potui ordinario immissa à *Reusnero Obseru. Med. LXXXVII. & Gottsched. Flor. Bruss. p. 246.* in doloribus hæmorrhoidum laudantur, sed hunc effectum magis externe, quam interne præstare creditur, cum ob vim purgandi

malum

malum potius exaſperent. Paucis adhuc notari meretur, quod ex obſervatione *Al. Pedemont de Secret.* folia contuſa & impoſita curent vulnera, paronychiam & animalium venenatorum morſus & puncturas. *Horſtius Pharm. Cathol. Part. I. Lib. 1. C. 95.* folia ad dolorem & puſtulas ab vrtica excitatas, tollendas, applicanda ſuadet, quæ demulcendo & refrigerando id præſtant, qua de cauſa etiam hæc folia cum ſeuo arietino aut hircino ad dolores podagricos leniendos imponuntur.

Præter hæc plura inſignium ſambuci virtutum exempla & documenta colligere, dictaque ſpecialibus teſtimoniis cortoborare, facile eſſet, niſi iam conſtet, per adducta iam ſatisfactum eſſe inſtituto: neque enim arduum eſt medico prudenti à laudatis vſibus ad alios, licet non expreſſe indigitatos, caſus affines applicationem facere. Tacemus facillimum eſſe rei pharmaceuticæ gnaris in alias atque alias pro re nata formulas redigere ſambucum.

Si tamen quis ampliorem campum ſingularium circa efficaciam ſambuci experimentorum & formularum videre cupiat, is poſt *Tabernæmontanum, Ioh. Bauhinum, Hermannum in Cynoſ. M. M.* vbi ſat plures extant compoſitiones, ampliſſimum reperiet virtutum & formularum ſambuci catalogum apud *Mart. Blochvvitzium in peculiari tractatu de ſambuco,* qui aliis contra plurima cumulauit præconia, vt in his exceſſiſſe fere videatur.

Cæterum poſt multas ac varias vtilitates in medicina, nunc paucas etiam virtutes ſambuci oeconomicas, culinares & mechanicas recenſere licet. Sic flores ſiccati ab oeconomis infunduntur vino mucido, vt iterum ſaporem gratum nanciſcatur, ſed hocce vinum exceſſu caput grauare poteſt.

Hinc & floſculi recentes, vel cibis permixti, vel cum ouis frixi

frixi comeduntur, vel paratur ex iis frictilla hoc modo: ℞. farinæ triticeæ manipulos tres, album. ovor. n. ſex, ſacchari q. ſ. ad gratiam, lactis parum, fiat exinde tenuiſſimum liquamen, in hoc immergantur vmbellæ florum ſambuci, & tunc liquamine hoc inſperſæ vmbellæ indantur in patellam butyro, vel axungia porcina feruente impletam, coquantur. Hæc frictilla cum gratia comeditur, ſed ne quid nimis, alias nauſeoſa exiſtit, cum & ἄνω & κάτω facile purget, ne repetamus vino floribus ſambuci ſaporem moſcatellinū conciliari ſolere.

Sic quoque conſtat, quod ruricolæ ex baccis maturis atropurpureis coctione, vel per ſe, vel cum pulpa prunorum mixtis, egregium parent pulmentum, quod circa tempus maturitatis baccarum quotidie inter fercula ruſticorum principem occupat locum, ex quo optime certe valent, ſiquidem hoc pulmentum præſtans dici meretur alimentum medicamentoſum.

Tacemus vaſa, quæ ex ſambuci ligno parantur, ſic cantharus, qui pro potu ordinario hauriendo ex hoc ligno conficitur, ob vim alterantem multum prodeſſe dicitur.

Dolendum, quod iuxta *Bartholin. Med. Dan.* baccæ maturæ magis in eſcam avium, quam hominum cedant, ob ſaporem enim gratum, acidiuſculumque palatum illarum vehementer oblectant, vnde etiam per totum fere autumnum aucupes pro decipiendis irretiendisque variis auium generibus hiſce baccis vtuntur.

CAPVT IV.

DE *Curioſis circa Sambucum obſeruationibus.*

PRius vero, quam finis noſtræ diſſertationi imponatur, me-

memorandæ adhuc ſunt quædam curioſæ obſeruationes, ad præſtantiam ſambuci multum facientes.

Celebratur hinc paſſim apud multos auctores, & ſpeciatim apud *Hartmannum l. c. Henr. Petri Noſol. Harm. Finckium Enchir. Dogm. Herm. Matth. Vntzerum Tr. de Epilepſ. Bartholin. l. c.* vis antepileptica ſambuci ſalignæ, quæ facultas illi hanc ob cauſam imbuta traditur, quod nempe pica maturas ſambuci baccas alacriter deuoret, & tunc iterum nihil fere mutatas per inferiorem gutturem in ſalices reuomat annoſas, & ſic antepileptica facultate tam baccas imbuat ſemeſas, quam ſambucum exinde naſcentem, ob picæ idioſyncraſiam. Quæ traditio, licet fabulis plane annumerari non poſſit, cum tale quid facile accidere queat, attamen de facultate antepileptica ab idioſyncraſia picæ dependente merito dubitatur, cum nec experientia hodie talem facultatem de principiis conſtitutiuis ſambuci ſalignæ confirmauerit, nec rationi conformis ſit talis imbuta facultas.

Multo minus cum ratione & experientia conuenit, quod ille, qui prima vice paroxyſmum epilepticum ſuſtinuit, à ſolo cubatu ſub ſambuco reſtitui poſſit, licet perſuaſum habeatur, multa effluuia emitti è ſambuco.

Nec certus atque indubitatus eſt iſte effectus, qui pulueri ex radicibus ſambuci ſalignæ parato adſcribitur, quod nempe huius pulueris parum infanti iam in lucem edito cum pulmento primo datum, infantem ab inſultibus epilepticis plane præſeruet, hæc vis antepileptica enim nondum demonſtrata eſt.

Id quoque valet de amuleto ex ſambuco ſaligna, quod *Medici Haffnienſes* valde dilaudant in epilepſia, de qua nouem orbiculi ad ſcrobiculum cordis ſuſpenduntur, vsque dum filum rumpatur, poſtea digitis non tactum, in locum ſepe-

liatur,

liatur, nec ab homine, nec à brutis frequentatum, vbi etiam multa superstitiosa occurrunt, quæ plane reiicienda. Aliter res se habet cum aliis amuletis, quæ non solum experientia probata sunt, sed etiam ex ratione demonstrari potest eorum effectus, vti hoc satis probat decantatissimum hodie illud Colchicum, quod *D. Præses* paucis abhinc temporibus communicauit, hoc certe ob insignem virtutem, quam toto die præstat, se adeo nobilitauit, vt variolis iam grassantibus anxie desideretur, quæratur, efflagitetur.

Curiosissimum sane est illud, quod de turionibus traditur, & apud multos scriptores legi potest, quod nempe turiones, si sursum versus coelum euellantur, per vomitum, sin terram versus, per aluum purgent. Quid igitur hic sentiendum, optima videtur sententia *D. Præsidis de Med. Facult. c. l.* qui certe omnem rem satis egregie explicauit, secus ac *Helmontio* & aliis vulgo placuit.

Notari quoque meretur curiosa obseruatio, quam *Bartholinus* habet de gallinis, quod illæ ab esu baccarum sambuci moriantur, sed hactenus nullum his baccis institui potuit experimentum, cum semper gallinæ baccarum esum fugiant, & nullo modo illorum cibis tanta copia admisceri queat, ex qua noxa oriatur.

Memorabile etiam huc referri potest ex *Ioh. Hisk. Cardilucio in Comm. ad Hartm.* vbi lignum sambuci incendia cohibere ignisque flammam restinguere traditur, sed in microcosmo talem effectum præstare totam arborem in superioribus demonstratum fuit, in macrocosmo autem experientia hoc nunquam confirmauit, imo constat, eius lignum vi ignis destrui, vt aliud lignum.

Non minus liceat addere locum insignem *Camerarii*, qui in *suo Horto Med. & Philos.* refert, quod insita prunus

in ſambucum, quamuis non facile comprehendat, fructus ferat purgantes, aſt cum ipſe de difficultate huius operationis conqueratur, imo nullibi expreſſe dicat, ſe tale quid expertum eſſe, dubitandum, quod vnquam tale quid factum ſit, præſertim cum difficillimum ſit, hæc duo diuerſisſima ligna combinare.

Quod & pueriles aliquando actiones, & ab adultis plane neglectæ, vel illis anſam præbere poſſint, has accuratius conſiderare, imo illas imitari, probat ſambucus, nam conſtat, quod ex eius ramis pueri ſiphunculos ſibi parent, cum ſtuppa in duobus orificiis impleant, & tunc explodant, quibus ſiphunculis certe maxime delectantur, hinc non immerito ſambucum Puerorum Gaudium dicendam putat *A. P. E. B. in ſeinen Abentheur der natürlichen und künſtlichen Sachen in Sina und Europa.* Et ſane ſi iam citati autoris annotationi fides habenda eſt, ab exploſionibus cum ſiphunculis à puerorum grege inſtitutis, adulti poſtea inuenerunt tormenta iſta bellica, horrendum opus dicendum.

Agmen claudant ſuperſtitioſæ quædam narratiunculæ ruſticarum de ſambuci vi contra peſſimas ſagarum inſidias. Sic appropinquantes ſtabula interdum cernimus ante fores ſambucum; ſi de cauſa quæritur, reſpondent: Sic ſagas non poſſe vaccis nocere incantationibus. Sed licet ſciamus haberi & plantas contra faſcina, attamen hoc de ſambuco affirmari poſſe nullibi dictum fuit. Quod vero talem effectum præſtet ſambucus, dependere videtur ab eius ſale volatili & ſulphure penetrante, quo per totam fere æſtatem ſtabula implentur, quodque efficit, vt pori & vbera vaccarum obſtructa reſerentur & aperiantur, ſicque lac iterum à ruſticis exprimi queat, quibus antea obſtructis, vel male ſe habentibus vaccis ſtatim hocce malum incantationibus diabolicis attribuerunt.

Idem

Idem valet de vasis ex ligno sambuci paratis, quæ etiam effluuia emittunt, & hunc in finem à rusticis in stabula portantur, quo pabulum exinde sumant vaccæ, & lac in hæcce exprimatur, sicque putant sagarum insidias non valere aduersus vaccas, in quarum stabulo talia vasa asseruantur.

Symbolica sunt & affinia sambucus & ebulus, de quibus vtrisque plura, quæ huc pertinent, legi possunt apud laudatos autores Botanicos & Medicos, tum antiquos, vt præter *Hippocratem*, quod in *Indice Operum* latius videre est, *Galenum*, *Dioscoridem*, tum recentiores vbertim videre est, *Rolfincium l. de purgantibus vegetabilibus*, *Raium*, & quosuis alios reperias. Nos impræsentiarum hic calamum sistimus.

SOLI DEO LAVS HONOR ET GLORIA!

SI Themidos natis largitur magnus Apollo
Præmia, quid mirum? Si Tibi & ille dabit
Præmia, digna tuis conatibus, optime TREISI.
Gratulor hæcce Tibi. Viue, valeque diu.

Hisce de meritis Honoribus Nobilissimo Domino Doctorando gratulatur

BVRCARD GOTTH. STRVVE,

H. T. ACADEMIÆ PRO-RECTOR.

* * *

VT coelum nitida ſtellarum luce ſuperbit,
Ipſa etiam terræ gloria laude micat.
Hanc maieſtatem diuini numinis almam,
Mente ſua capiens æſtimat vnus homo.
Sed tanta eſt, vt vix vel ſolam exhauriat herbam,
Vt plures viſæ ſæpius exuperent.
Vnica ſambucus ſummos excellit in vſus,
Quo Tibi condignus nomine ſurgit honos.

De hoc ex merito gratulor

PRÆSES.

EST plantis virtus: virtuti dantur
honores:
Hinc virtutis amans præmia summa capit.
Quid mirum, TREISAM, laudis portare brabea?
Cum plantæ vires eruat ille sagax.

Ita Nobilissimo & Clarissimo Domino
Doctorando applaudebat
IO. HADRIANVS SLEVOGTIVS, D.
P. P. & Med. Sax. Prov.

PRo captu sanantis habent sua fata medelæ,
Arte malum vilis sæpe frutex superat.
Sambuci vires inquiris, &, arte medendi
Tinctus, iis morbos pellere rite vales.

Faustæ gratulationis ergo scripsit
IO. ADOLPHVS VVEDELIVS, D.

PAndere sambuci genium conaris amice:
Sic simul ad magnæ tendis præconia laudis.
Apprecor, vt fama multis memoreris in oris,
Moxque Tuum nomen totum circumvolet orbem,
Sic Tibi dulcis erit durus labor, ante peractus:
Sic Tibi sambucus lauri producet honores.

Ita Nobilissimo Dn. Doctorando auditori hactenus suo æstumatissimo applaudebat

HERMANNVS FRID. TEICHMEYER,
D. Phil. P. P. Ord. & Med. Extra-Ord.

QVanta sit in sano seruando corpore virtus
Sambuci, praesens pagina docta docet.
Hinc ergo satis egregie *Doctissime TREISI*
Emicat ingenii vis generosa *Tui.*
Junctus honos opibus Galeni munera rara,
Te quoque, doctrinae praemia certa, manent.

Clarissimo Dn. Ddo Auditori suo perindustrio, Fautori aestumatissimo, gratul. scr.

JOHANNES BERNHARDVS WIDEBVRGIVS,
Math. P. P. Ord. Ducal. Alumn. Inspector.

SAmbucus laurum profert; Ex arbore surgit
Diuersum germen: miranс quisque videt?
Sambuci vires indagas, optime TREISA,
Hinc datur ingenio laurea digna Tuo.

Hisce
Nobilissimo Dno Auctori, Ciui, atque amico suo perquam colendo, gratulabundus adplaudebat

M. DAN. GOTTFR. VVERNER, Eisenberg.

❧ (o) ❧